

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 4216

**Auteur(s)** : Philippe III le Hardi, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Guillaume Caletot, châtelain de Montmélian [autre]

**Genre d'acte** : vidimus

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1284, 18 juin

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Philippe [III], roi de France, vidime une charte de Guillaume Caletot, chevalier, châtelain de Montmélian, par laquelle il fait un échange de biens avec l'abbaye Saint-Denis.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1234, p. 344-346.
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 424 (extrait).

Texte établi d'après a

Ph., Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras Guillelmi Caletot, militis, castellani Montis Meliani, vidimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis, Guillelmus Caletot, miles, castellanus Montis Meliani, salutem. Notum facimus quod nos quicquid habebamus et possidebamus seu habere poteramus, quacumque ratione vel causa, apud Montem Melianum, Plaliacum, Govix, Auversium et Robertivallem, et hospites quos habebamus apud Luperas, et avenam quam habebamus seu habere poteramus et debebamus, et jus avenarum quod habebamus et habere poteramus in Meldensi dyocesi, cum omnibus aliis et singulis que habebamus et habere poteramus et debebamus in predictis locis et pertinentibus ad predicta, in terris, domibus, nemoribus, censibus, censivis, campipartibus, feodis, retrofeodis, vineis, pratis, talliis, caponibus, panibus, avenis, justiciis, altis et bassis, aquis et vivariis, garennis, et aliis rebus ac redditibus quibuscumque habebamus et possidebamus, seu habere poteramus et debebamus in Francia in Parisiensi, Meldensi, Silvanectensi, Belvacensi dyocesisibus, et in Vulcassino Francico, considerata utilitate nostra et heredum nostrorum, omnia et singula supradicta permutamus et nomine permutationis concessimus cum religiosis viris abbate et conventu Sancti Dyonisii in Francia, pro omni eo quod habebant et possidebant in Caletto apud Bernevallem Magnam et Parvam, et manerium suum de Bernevalle apud Wasonvillam et Vorgimontem et apud Sanctum Martinum in Campania et eorum pertinencias, videlicet terris, possessionibus, justicia alta et bassa, expletis, campipartibus, censibus, redevantiis, fructibus decimarum et aliis redditibus, quocumque nomine censeantur, nemore cum garennis ; item, quodam molendino quod vocatur de Aincort cum pertinentiis ejusdem ; item domo quam habebant apud Depam ; item, terra et grangia suis de Fraeles cum fructibus decimarum et omnibus pertinentiis ville predictae ; item, usagiis que habebant in foresta Aquatici, et generaliter omni eo quod habebant in Caletto, cum omnibus pertinentiis omnium et singulorum predictorum, et omni eo quod poterant

ibidem habere, exceptis septem libris turonensium debitis thesaurario ecclesie Beati Dyonisii super ecclesiis Sancti Martini de Campania et de Berneville Magna, qui thesaurarius in predictis preterquam dictas septem libras nichil poterit reclamare quacumque ratione vel causa ; item, in ballivia Gisortii, in Vulcassino Normanno, una domo vocata Manerio, in foresta de Leonibus, et omni eo quod habebant ibidem et apud Floriacum, Morigniacum et Lilliacum, et tali usagio quale habebant in foresta de Leonibus, et omni eo quod habebant et habere poterant ibidem et in pertinentiis eorumdem ; item, quadam alia domo in eadem ballivia que vocatur Sancta Genovefa et les Margotes, et tali usagio quale habebant in foresta de Bleu, et fructibus decimarum quas habebant in dictis locis et pertinentiis eorumdem ; item, omnibus pratis que habebant apud Boucheviller, Talemoustier, Damecort, Gollencort et Romeinvillam, et fructibus obventionum quas habebant in locis predictis, et generaliter omni eo quod habebant seu habere poterant, quacumque ratione vel causa, in dictis locis et pertinentiis eorumdem, nichil sibi nec suis successoribus in predictis penitus retinendo ; ita tamen quod nos, pro dicta terra de Berneville et aliis rebus nobis in excambium datis aut concessis a religiosis predictis, hommagium et servitium quinque militum facere tenebimur domino regi ac nostri heredes et successores im perpetuum, sicut antea pro rebus quas permutavimus facere tenebamur. Dicti quoque religiosi et successores sui ad unius militis servitium domino regi faciendum tenebuntur, sicut pro terra Normannie tenebantur. Ac ad alia onera dicte terre tenebimur nobis in excambium concessa, et ipsi religiosi ad alia onera, ad que terra quam in excambium eisdem concessimus, tenebuntur in futurum et successores eorum. Actum etiam fuit inter nos et dictos religiosos quod magister Johannes de Gamachiis Les Margotes tenebit quamdiu vixerit ad annuam pensionem nobis solvendam ad quam tenebatur religiosus predictis, quodque dicti religiosi non venient contra donationem a nobis factam apud Robertivallem et ejus pertinentias Johanni dicto le Gaigneur, civi Silvanectensi, et ejus heredibus et omnibus ab ipsis causam habentibus, ita quod dictus Johannes et heredes sui et omnes ab ipsis causam habentes sibi donata a nobis a dictis religiosis tenebunt in feodum secundum usus patrie in qua res donate consistunt. Cumque domina Aelidis, relicta domini Guillelmi de Vernone, quondam militis, in terra a nobis in excambium concessa, dotem seu dotalicium haberet ad presens usque ad summam CCCCL librarum parisiensium sibi quitarum Parisius reddendarum, et domina Maria, uxor nostra, dotem seu dotalicium in premissis habere posset etiam in futurum, nos onera dictarum docium seu dotaliciorum in nos et nostros heredes et successores suscepimus, volentes et concedentes quod terra et alia supradicta nobis in excambium concessa et tota alia terra nostra, ubicumque consistat, pro dictis dotaliciis seu dotibus dictis religiosis remaneant specialiter obligata in omnibus et per omnia, sicut dicta terra quam eis in excambium concessimus et predicta alia antea tenebantur, usque ad conservationem indemnitatis sue et solutionem integram dotium seu dotaliciorum superius expressorum, ac, si contingeret quod dicte domine vel aliqua earumdem dictas dotes seu dotalicia nollent suscipere seu percipere in terris Normannie predictis, quod ex tunc nos et heredes nostri aut successores dictis religiosis de dictis terris Normannie assignare tenebimur usque ad estimationem et valorem dotaliciorum seu dotium predictorum. Preterea cum nos constante matrimonio inter nos et dictam Mariam, uxorem nostram, quintam partem predictarum terrarum movencium ex hereditate nostra acquisivissemus seu emissemus ab executoribus testamenti predicti domini Guillelmi de Vernone, militis, quondam rerum domini predictarum, nos dictis religiosis cessimus omne jus et omnes singulas actiones, utiles et directas, quod et quas habebamus in omnibus predictis et singulis et circa predicta, et poteramus et debebamus habere, et constituimus dictos religiosos et successores eorum procuratores tanquam in rem suam, et ponimus eos in locum nostrum, ita quod a modo possint suo nomine experiri, et se defendere pro predictis, et omnia facere quemadmodum nos possemus ; quodque si predicta uxor nostra, ratione acquiramenti vel alia ratione, in predictis aliquod jus im posterum reclamaret vel peteret, ipsos penitus conservaremus indemnes. Dicti etiam religiosi nobis et nostris heredibus cesserunt omnia jura et actiones utiles et directas que et quas habebant in predictis omnibus et singulis et poterant et debebant habere, constituentes nos procuratores tanquam in rem nostram, et ponentes nos in locum suum, ita quod a modo possimus experiri nostro nomine, et nos defendere pro predictis, et omnia facere quemadmodum ipsi possent. Promittentes ad invicem, nos dictis religiosis, et ipsi nobis, quod nulli dedimus aut cessimus, aut ipsi dederunt aut cesserunt aliquod jus in fraudem presentis contractus. Quod si factum inveniretur, nos ipsos conservaremus, et ipsi nos penitus conservarent indemnes. Promittimusque dictis religiosis et ipsi nobis predicta rata et firma habere, nec contra facere vel venire, et garandizare premissa ad usus et consuetudines locorum ubi sita sunt, et solvere omnia dampna, interesse, penas et expensas litis et extra, que et quas ob defectum garandie vel alio quoquo modo nos vel dictos religiosos contingeret incurrere aut heredes aut successores nostros aut successores religiosorum ipsorum, et super dictis dampnis, expensis, interesse et penis credere nos dictorum religiosorum vel procuratoris sui juramento sine alia probatione, et ipsi religiosi nostro vel nostri procuratoris juramento sine probationis alio genere cujuscumque ; renunciamusque nos et dicti religiosi omnibus privilegiis et gratiis a sede apostolica, ejus legatis et secularibus

dominis indultis et indulgendis, per que premissa possent quomodo libet violari, privilegiis omnibus cruce signatis et cruce signandis indultis aut indulgendis auctoritate sedis apostolice, vel aliis quibuscumque, exceptioni doli, conditioni sine causa, in factum actioni et omnibus aliis exceptionibus et defensionibus juris canonici et civilis ac facti per que premissa, in toto vel in parte, possent in aliquo retractari. Pro quibus omnibus et singulis firmiter observandis, nos dictis religiosi nos et heredes et successores nostros obligamus et omnia bona nostra, et ipsi religiosi nobis et nostris heredibus et successoribus se obligaverunt et successores suos et omnia bona sua. In quorum testimonium, presentes litteras sigillo nostro fecimus sigillari. Actum III kalendas junii, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> octogesimo quarto.

Nos vero memoratum excambium seu permutationem et ea que superius sunt expressa volumus, concedimus et approbamus ac etiam confirmamus, salvo tamen jure nostro et etiam alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, dominica ante nativitatem beati Johannis Baptiste, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> octogesimo quarto.